

SCRIPTA

Numéro Scripta : 5441

Auteur(s) : Jean d'Essay, Coutances (évêque)

Bénéficiaire(s) : Coutances (chapitre cathédral)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1273, 16 août

Lieu d'émission : Coutances

Action juridique : autre

Langue du texte : latin

Analyse

L'évêque de Coutances Jean [d'Essey] fonde un obit pour lui et son frère Thomas d'Essey, chanoine de Coutances. Il donne des dîmes achetées à des laïcs sur les paroisses de Montaigu-la-Brisette, Bretteville-en-Saire et Beuzeville-sur-le-Vey. Il donne également de l'argent pour que le chapitre achète les rentes tenues par Raoul de la Haye à Tourlaville et Cherbourg, ainsi que des rentes et des terres de Saint-Jores, Sainteny, Saint-Pierre de Coutances et Nicorps. Enfin, Jean [d'Essey] donne au chapitre son manoir de Saint-Nicolas de Coutances, situé à proximité du manoir du chanoine Nicolas de Saint-Sever, et du vicaire du grand autel Pierre de Surtainville.

Sur ces droits, il donne treize livres tournois pour l'obit de l'évêque Vivien, en échange d'une dîme de vingt sous sur le moulin de Bonfossé et une partie des dîmes de Saint-Ebremond-de-Bonfossé, qu'il a reçues du chapitre alors que Vivien avait donné ces droits à la cathédrale pour son obit. Il fonde deux chapelains qui recevront chaque année quinze livres tournois. Le communier devra également verser quatre livres aux chanoines et quarante sous aux clercs du chœur présents lors de l'obit de ses parents, célébré une fois l'an ; quarante sous aux chanoines et vingt sous aux clercs présents lors de l'obit de son frère, célébré une fois l'an ; dix livres de pain aux pauvres et dix livres aux chanoines lors de son obit, célébré trois fois l'an. Soixante sous seront affectés aux luminaires nécessaires lors de ces célébrations. Le reste devra être distribué aux clercs du chœur présents lors de son obit.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Fontanel Julie, *Le cartulaire du chapitre cathédral de Coutances*, Saint-Lô, Archives départementales de la Manche (Sources inédites sur l'histoire du département de la Manche ; 1), 2003, n° 227, p. 355-361.

Texte établi d'après a

Universis hec visuris, J[ohannes], permissione divina Constantiensis ecclesie minister humilis, salutem in Domino. Noverit universitas vestra quod nos, intuitu caritatis, pro salute anime nostre et parentum nostrorum, interveniente nostri capituli Constantiensis assensu, dedimus et concessimus et adhuc presentis scripti testimonio confirmamus predicto capitulo ad obitum seu anniversarium nostrum ter in anno post decessum nostrum immo et ad obitum magistri Thome de Esseio, canonici Constantiensis, fratris nostri, et parentum nostrorum semel in anno, juxta ordinationem nostram inferius declarandam, solemniter in ecclesia Constantiensi celebrandum, videlicet decimas quas de Ricardo Frapier, milite, apud Montem Acutum Constantiensis dyocesis, et de Guillelmo de Valle et de Oregio de Valle et de Guillelmo Huterel, apud Bretevillam, et de Nicholao de Beusevilla, presbytero, apud Beuseville super Vada dicte dyocesis, redemimus ; quas decimas tanquam feodum laicale detinebant dicti presbiter, miles et alii superius nominati, necnon et omnes terras, redditus et possessiones quos et quas dictum capitulum a

Radulpho de Haia, milite Ebroicensis dyocesis, comparavit de pecunia nostra, tam ad obitum nostrum quam alias, in parrochiis et hominibus infrascriptis, et quos et quas eisdem debebant et reddebant homines inferius nominati de tenementis que tenebant de eisdem, scilicet apud Tollavillam, Ricardus Hare, duos panes trium denariorum tur., duas gallinas ; item Symon le Cocq, duodecim denarios tur., tria quarteria frumenti ad mensuram de Torlavilla, duos panes duorum cenomanensium, duas gallinas et viginti ova ; item Thomas, filius Conrey, undecim bussellos frumenti ad dictam mensuram, duos panes duorum cenomanensium et duas gallinas ; item heredes Philippi de Galet, unum panem trium obolorum et unam gallinam ; item apud Mesnillum Auvart, Ricardus Cosquet, duos solidos tur., duos panes duorum denariorum cenomanensium et duas gallinas ; item Radulphus le Cousturier, tres solidos tur., duos panes duorum denariorum cenomanensium, tres gallinas ; item Guillelmus la Postoire, duos solidos tur., duos panes duorum cenomanensium et duas gallinas ; item Willelmus Clementis, decem et octo denarios tur., unum panem unius cenomanensis et unam gallinam ; item Robertus, filius Rogeri de Mesnil, quatuor solidos tur., tres panes trium cenomanensium et quatuor gallinas ; item Aelicia, filia Ricardi de Mesnillo, sex solidos tur., unum panem trium tur. et duas gallinas ; item Rogerus le Bret, tres solidos tur., quatuor panes quatuor cenomanensium, unum gallum et tres gallinas ; item idem Rogerus, tres solidos tur., quatuor bussellos frumenti ad mensuram de Torlavilla, unum panem unius denarii, unam gallinam ex venditione Roberti Cosquet ; item Radulphus le Diacre, decem et octo denarios, duos panes trium denariorum tur., et duas gallinas ; item idem Ranulphus, quatuor bussellos frumenti ad mensuram de Torlavilla, unum panem unius tur. et unam gallinam de nova emptione ; item, apud Cesarisburgum, Thomas Pecolet, quatuor solidos tur., unum quarterium piperis, de masura cum pertinenciis suis quam tenebat ratione uxoris sue, quam nunc tenent Robertus Paillette et Petrus de Fierevilla ; item idem Robertus Paillete, de eadem masura, sex solidos et sex denarios tur. et dimidium quarterii piperis ex venditione Johannis Heda, presbyteri defuncti ; item Guillelmus dictus Tueboef tres solidos tur. et unum quarteronum piperis, de masura cum pertinenciis suis quam tenebat ratione uxoris sue juxta domum dicti Pecolet, quam nunc tenent Thomas de Sotevast et Gervasius Beauvales ; item omnes terras, redditus et possessiones quos et quas predictum capitulum emit apud Sanctum Georgium in Bauptesio de pecunia nostra ab Emma, relicta Guillelmi de Caretot, militis defuncti, et quos reddebant eidem E[mme] de terris et tenementis quas et que de ipsa tenebant isti homines, videlicet Alanus dictus Rex, tres bussellos frumenti ad magnam mensuram de Sancto Georgio ad festum sancti Michaelis, tres panes sex denariorum et tres gallinas ad Natale et triginta ova ad Pascha et quindecim denarios ad nundinas de Beusevilla pro auxilio, de duabus virgatis terre sitis juxta terram dicti militis ; item Guillelmus Harel, tres bussellos frumenti ad parvam mensuram de Sancto Georgio, duos panes de quatuor denariis tur., duas gallinas ad Natale et viginti ova ad Pascha et sex denarios tur. de auxilio ad dictas nundinas, de dimidia acra terre sita juxta terram Ricardi de Sancto Georgio ; item Radulphus dictus Sutor, quinque bussellos frumenti ad dictam magnam mensuram de Sancto Georgio, duos panes quatuor denariorum, duas gallinas, viginti ova ad Pascha, sex denarios de auxilio de Beusevilla et duos denarios de auxilio comitis, de una acra terre in Vale de la Fontenele ; item Guillelmus Picois, tres bussellos frumenti ad magnam mensuram, duos panes de quatuor denariis, duas gallinas, viginti ova ad Pascha, tres denarios de auxilio de Beusevilla et unum denarium de auxilio comitis, de una virgata terre et dimidia juxta cheminum de Haya ; item Azo le Bolengier, duos bussellos frumenti ad magnam mensuram, duos panes quatuor denariorum, duas gallinas, viginti ova et quatuor denarios de auxilio de Beusevilla et unum denarium de auxilio comitis, de quadam virgata terre sita as Toiz ; item Ranulphus dictus Gallus, duodecim solidos tur. ad festum sancti Michaelis, duos panes quatuor denariorum tur., duas gallinas, viginti ova et unum denarium de auxilio comitis, de duabus acris terre juxta terram relicte Radulphi Fabri ; item Robertus Huberti, sex solidos ad festum sancte Petronille, duos panes de quatuor denariis tur., duas gallinas et viginti ova, de tribus acris terre site apud Sanctam Susannam ; item Robertus de Lauda, clericus, quinque solidos tur. ad festum sancti Michaelis, de manerio et terra sua ; item G. Hotot, quinque bussellos frumenti ad magnam mensuram, duos panes trium denariorum, duas gallinas, viginti ova, sex denarios ad dictas nundinas et unum denarium de auxilio comitis, de septem virgatis terre ; item Guillelmus Doinsel, unum quarterium frumenti ad magnam mensuram, duos panes de quatuor denariis, duas gallinas, viginti ova, quatuor denarios ad dictas nundinas et unum denarium de auxilio comitis, de duabus virgatis terre juxta terram Haretot de Grouceio ; item Tomas Riheo, duos bussellos frumenti ad parvam mensuram, duos panes de quatuor denariis, duas gallinas, viginti ova, quatuor denarios ad dictas nundinas et unum denarium de auxilio comitis, de quadam virgata terre juxta Brecam Huelin ; item Petrus Ansquetilli, duos bussellos frumenti ad magnam mensuram, duos panes de tribus denariis, duas gallinas et viginti ova, de quadam acra terre in feodo Radulphi Demie ; item Guillelmus Vasce, de Clauso Augustini, quinque bussellos frumenti ad magnam mensuram, duos panes de quatuor denariis, duas gallinas et viginti ova, sex denarios ad dictas nundinas et unum denarium de auxilio comitis ; item Thomas Bataille, tres bussellos frumenti ad magnam mensuram, duos

panes et duas gallinas, viginti ova, sex denarios ad dictas nudinas et unum denarium de auxilio comitis, de dimidia acra terre sita apud Calidum Dumum ; item Willelmus Hotot, duos panes de quatuor denariis, unum quarterium frumenti ad magnam mensuram, duos panes de quatuor denariis, duas gallinas, viginti ova et duodecim denarios ad dictas nudinas de Boiseville ; item Robertus Firmini, duos bussellos frumenti ad mensuram de Sancto Georgio, unum panem unius denarii, unam gallinam et decem ova annui redditus, quem emit dictum capitulum a Roberto de Quercu de pecunia nostra ; item et dimidiam acram terre ; item quamdam aliam peciam terre et unam peciam prati ; item quamdam aliam paciam terre sitam apud Les Heris in parochia Sancti Georgii in Bauptesio, quas similiter emit dictum capitulum a predicto Roberto de Quercu unacum predicto reddito de pecunia nostra ; item Nicholas le Chipaut, unum quarterium frumenti ad mensuram de Sancto Georgio et duos denarios ad Natale annui redditus, quem emit dictum capitulum a Nicholao Josceran apud Sanctum Georgium de pecunia nostra, de quadam pecia terre quam per homagium tenebat dictus Nicholas le Chipault de dicto Nicholao Josceran apud Sanctum Georgium ; item et quamdam peciam terre duas virgatas continentem apud Chaut Buisson in parochia Sancti Georgii, quam dictum capitulum emit de pecunia nostra ab Unffrido Cresson ; item apud Sanctum Georgium Petrus aut Silvester Aubi seu heredes eorum, sexdecim bussellos frumenti ad mensuram Sancti Georgii, duos panes, duas gallinas et viginti ova annui redditus, de septem peciis terre, quem redditum dictum capitulum cum homagio et alio jure dictorum Petri et Silvestri emit a Johanne de Hardy de Bretevilla in Baupreiz de pecunia nostra ad anniversarium nostrum deputandum, item apud Santenium, Joannes Costart, duodecim bussellos frumenti ad mensuram de Constantiis annui redditus, de toto tenemento quod tenet de Guillelmo le Viconte, milite in parochia de Sauceyo, quod continet in masnagio, clausis, terris et planis, tres acras terre vel circiter in undecim peciis terre, quem redditum supradictum tenementum dictum capitulum emit a Johanne de pecunia nostra de assensu dicti militis ad anniversarium nostrum committendum ; item Robertus Loriez, unum quarterium frumenti ad mensuram de Constantiis, super masnagio suo de La Boreliere et de tota terra sua de La Coquiere in parochia Sancti Petri de Constantiensis, continente quinque acras terre vel circiter ; item Robertus le Rube, sex bussellos frumenti ad mensuram de Constantiis apud Nicorp, de toto tenemento quod habet et possidet in parochia de Nicorp, quod continet novem virgatas terre vel amplius, quod frumentum dictum capitulum emit a dicto Roberto supradictum tenementum de pecunia nostra ad anniversarium nostrum ; item apud Habone, Johannes Poupel, presbyter, viginti duos bussellos frumenti et Robertus Lenenovi de Mesnil Dou, octo bussellos frumenti annui redditus cum regardiis et servitiis ac aliis juribus quae, de assensu et voluntate magistri Thomae de Esseyo canonici et capituli Constantiensis, emeramus in prebenda dicti magistri Thomae super quatuordecim acris terre de ipsa prebenda a Guillelmo de Mesnil Dou ; Item damus et concedimus dicto capitulo unacum predictis omnibus totum manerium quod, dum essemus in minori officio constituti, utpote in officio archidiaconatus fieri seu construi fecimus, situm in parochia Sancti Nicholai de Constantiis inter parvum vicum per quem itur ad fontem Sancti Amantis ex parte una et manerium quod fuit quondam Nicholai de Sancto Soherio, canonici Constantiensis, et Petri de Surteinvilla, presbyteri defuncti, quondam vicarii majoris altaris Constantiensis ecclesie, et quicquid juris in dicto manerio habebamus et habere poteramus de predictis annuis decimis, terris, redditibus, possessionibus et aliis superius prenomatis ; volumus et ordinamus quod predictum capitulum percipiet et habebit in predictis decimis tredecim libras tur. annui redditus ad anniversarium bone memorie Viviani, quondam episcopi Constantiensis, in excambium pro viginti solidis tur. quos solebat percipere et habere dictum capitulum in molendino nostro de Bono Fossato nomine decime et pro quadam portione decime garbarum quam dictum capitulum percipiebat et habebat infra metas parrochie Sancti Ebremondi de Bono Fossato, quos quidem viginti solidos et dictam portionem decime dictus Vivianus dum viveret dedit et assignavit eidem capitulo ad anniversarium suum in ecclesia Constantiensi pro salute anime sue annuatim sollempniter celebrandum et quos viginti solidos cum dicta portione decime nobis et successoribus nostris episcopis dictum capitulum nobis finaliter dimiserunt pro excambio memorato. Item volumus et ordinamus quod per communiarium capituli Constantiensis de predictis decimis et redditibus ac terris ministrentur et solvantur duobus cappellaniis per nos et successores nostros instituendis ad deserviendum duas cappellanas in dicta ecclesia Constantiensi, videlicet unicuique quindecim libras tur. annuatim secundum usum et consuetudinem aliorum capellanorum ; qui capellani horis canonicis in dicta ecclesia interesse sicut alii tenebuntur et defectus eorum ut aliorum notabuntur et singulis diebus celebrari tenebuntur specialiter pro salute anime nostre et animabus parentum et benefactorum nostrorum ac aliorum Dei defunctorum. Item in anniversario parentum nostrorum, semel in anno sollempniter celebrando, distribuentur per dictum communiarium quatuor libre tur. canonicis et quadraginta solidi tur. clericis chori qui presentes fuerint anniversario eorumdem. Item die anniversarii predicti magistri Thome, patris nostri, semel in anno sollempniter celebrando, distribuentur sexaginta solidi tur., videlicet due partes canonicis et tertia clericis chori. Item die anniversarii nostri, ter in anno sollempniter celebrandi, per dictum communiarium erogabuntur singulis vicibus pauperibus in pane decem libre ; item singulis vicibus distribuentur canonicis decem libre qui intererunt officio anniversarii supradicti. Pro luminari autem omnium predictorum anniversariorum, sexaginta solidi tur. a dicto capitulo capientur. Residuum autem valoris omnium predictorum decimarum, reddituum, terrarum et possessionum distribuentur clericis chori qui presentes fuerint qualibet die anniversarii nostri per manum dicti communiarii, prout de canonicis determinatum et ordinatum. In cujus rei testimonium perpetuum et munimen,

presentibus sigillum nostrum duximus apponendum ; et ad majorem rei certitudinem et confirmationem, predictum capitulum nostrum Constantiense huic presenti scripto sigillum suum apponere dignum duxit. Actum et datum anno Domini M° CC° septuagesimo tertio, mense augusti, die crastina Assumptionis beate Marie Virginis in generali capitulo.